

1441 re, quum Sforcia, Martinengo & aliis Cremonensis agri locis receptis, copiis Maripetro legato, Michaeli & Alexandro fratribus relictis, Venetias profectus est. Hic ubi in curiam est admissus, ita Patres allocutus dicitur. *Dei, inquit, Maximi Optimique benignitate, vestraque, Princeps & Patres, felicitate, ita ad hunc diem validas Philippi opes accisas reddidimus, ita ferocissimos illius spiritus multis cladibus aliis super alias fregimus, ut proximis diebus, qui suo nomine pacem supplex peteret, in castra miserit, cuius me auctorem & arbitrum esse voluit. Vester exercitus incolumis est: oppida quaecunque ille vobis ademerat, recepimus: suntque in vestri legati potestate. Pacem cum his vobis afferro: si eam ex vestra dignitate ducitis, si talem, ut receptam Reipublicæ vestræ conducere arbitremini, ut oblata est, si placet, sumite: si vero in armis adhuc esse cogitatis (quando utrunque sequi vobis integrum est) dicite quid me facere velitis. Nam quod ad me attinet, ea fide & constantia, qua bellum hoc suscepi, susceptumque, superioris iuvantibus, magna ex parte confeci, dabo operam (modo fortuna votis respondeat) ut ex sententia quandoque confectum audiat. Gratus fuit Sforciæ adventus, gratior tam popularis oratio, pax vero gratissima, quippe quæ ea visa est, ut æquiores illa aut potiores optasset nemo. Actæ itaque illi gratiæ ingentes, quod fide & virtute, qua cœpisset, bellum laboriosissimum ad optatum exitum perduxisset. Quod ad pacem attineret, responsum est: Venetos eam ratam perpetuamque habituros, quam ipse cum hoste sanxisset. Iret, & quod Veneto nomini eique bene verteret, rem Venetam, quo vellet, statueret loco. Certo scire se, nihil ab eo decerni posse, quod non idem e Republica Venetique nominis dignitate esset. Cum his ille a Patribus digressus, tam inclyta pace non minus quam victoria lætus in castra rediit. Hic dimisso in hyberna exercitu, ipse Caprianæ esse voluit, ubi ex tota Italia legatos, quos ad se conventuros sciebat, audiret. Affuerunt uno tempore ab Eugenio Pontifice Lodovicus Patriarcha, quo postea decedente, Blundus Forlivienis, historiarum scriptor, apud Sforciam*